

eo præcipue, quod differtis verbis scribit Vlpianus: (28) *Inauditum filium patrem occidere non posse, sed accusare eum apud præfectum præsidemve provincie debere.* Vbi tamen Accurs. ridiculas admodum illius verbi *inauditum* comminiscitur expositiones, inter quas, ea & interpretibus cæteris communiter placet, (29) & verò proprius videtur accedere, quæ verbum illud, pro non accusato sumit, proque eo cuius auditæ prius defensiones non fuerint, quem Græci ἀπίστον vocant. In quo sensu Cuiac. (30) etiam, semel & iterum Vlpianum accepit, in eius confirmationem Tacitum (31) laudans, dum simili loquendi genere, *inaudito*, inquit, *filium exitium offerre.* Voluerunt quippè iura noviora, etiam in filio à patre occidendo, legem illam antiquam duodecim tabularum servari, quæ neminem inauditum, & indemnatum, incognita, inditaque causa occidi iubebat. Ad quam respiciens Salvianus Massilien. Episcop. (32) *Interfici*, inquit, *idem damnatum quemcumque hominem etiam duodecim tabularum decreta vetuerunt.* Et Divus Augustinus: (33) *Vos appello leges, iudicesque Romani, nempe post patratà facinorà, nec quemquam scelestum indemnatum voluistis occidi;* vnde Cicero (34) inter cætera quæ Verri obiicit crimina: *Honestissimi*, ait, *atque integerrimi absentes rei facti, indicta causa damnati, & eiectioni.* Et Quintus Curtius (35) de Callisthene loquens, nullius eadem maiorem Alexandro invidiam excitasse scribit: *Quam quod virum optimis moribus, artibusque præditum, non tantum occiderit, sed etiam torserit indicta quidem causa.* Et Symmachus (36) ad Theodosium & Arcadium scribens: *Quaso igitur, inquit, ne in contumeliam iudicij vestri, & iuri, & innocentia fraus paretur: quando enim absentibus, atque ignorantibus inter alios gesta nocuerunt? Quis unquam sententiam numinis vestri inauditus excepit?* Quamvis Cicero. (37) Dictatori hoc concessum recenseat: *Ut quem vellet civium indicta causa impune posset occidere.* Sed verò licet hæc, his auctoribus placeant, mihi tamen probari non possunt: nam iuxta ea non male quis dixerit, auditum & damnatum filium a patre interfici posse, quod Vlpianus à contrario innuit, & superiore interpreta-

(27) Eleganter 242 §. fin. de pig. act. l. nec quicquam 9. §. de plano; de off. procons. l. 1. §. cum patronus de offic. præf. urb. l. 1. (28)

Vlp. in l. 2. ad l. Cornel. de siccar. (29) Bartol. Angel. Hippo. & Budeus ubi Pinel. d. 2. p. rub. C. de bon. nu. 18. Bris. & Prat. verb. inauditum.

(30) Cuiac. lib. 4. obs. c. 12. & 6. c. 17. & in op. posthu. de patr. potest.

(31) Tacit. 4. annal.

(32) Salvian. lib. 8. de iud. & prov. Dei

(33) Aug. 1. de civit. Dei.

(34) Cicero. act. 2. in Verrem; vide alia in hanc rem lité congesta à Simanco in cath. instit. 2.

(35) Quint. Curt. lib. 8.

(36) Symmach. lib.

26. epist. 47 l. (7)

(37) Cicero. de legib.

- (38) *Bud. sup. Corraf. in l. filium que, n. 80. C. fam. ercis.*
- (39) *L. qui iurisdictioni, D. de iurif. dict. omni. iud. vide Tiber. Decian. lib. 9. crim. c. 8. n. 10.*
- (40) *Marc. in l. 1. D. de req. reif.*
- (41) *Sen. in Medea.*
- (42) *Non. de verb. signif. pag. mihi 128.*
- (43) *Lib. 60. Basil. tit. 39.*
- (44) *d. lib. 6. obs. cap. 17.*
- (45) *Caldeir. lib. 3. variar. lect. c. 3.*
- (46) *Steph. Forcat. dial. 81.*
- (47) *L. calicolarum, C. de hæret. l. 4. C. de apostat.*

tionem retenta Budæus, (38) & Corrasius admittunt. Id autem quam iuris principiis repugnet, manifestum est: Nam posteriores leges semper ius potestatis minuerunt, & patribus non occidendi filios duntaxat, verum, & in eorum causis cognoscendi, & iudicandi facultatem denegarunt. (39) Quam ob rem licet non inficiet, verbum *inaudium* pro eo plerumque sumi, qui auditus & defensus non sit: vnde Marcian. (40) *Nec enim, inquit, inaudita causa quem damnari, æquitatis ratio patitur, & Seneca. (41)*

Qui statuit aliquid parte inaudita altera

Æquum licet statuerit, haud æquus est.

Aptius tamen, & ad Vlpiani mentem accommodatius existimo *inaudium* non audientem, & paternis præceptis non obsequentem & obtemperantem exponere. Nam & Nonius Marcellus: (42) *Inaudium, inquit, quod non audiat in veteribus prudentibus lectum est.* Et Græci Auctores (43) eum pro se textu interpretantes, *inaudium* scripserunt significare *inobedientem sive contumacem*, quem pater sibi non parentem non potest, ut olim, occidere, sed iudicibus puniendum offerre tenetur. Quam expositionem licet Iacobus Cuiacius (44) non probet, mihi tamen Vlpiani mens, & Eduardi Caldeiræ, (45) qui eam sequitur, auctoritas, facili negotio suadet. Quod cum non assequeretur Stephanus Forcat. (46) & communi interpretationi ex superioribus argumentis acquiescere non posset, ineptè admodum tertiam Accursij expositionem amplectitur, & *inaudium* explicat, *pro impio, quique aliquid inaudium commisit*, iurium quorundam (47) minimè id probantium argumento permotus.

(†)



CAPVT IX.

Adempta parentibus occidendi filios licentia, statim pœnas occisoribus irrogatas. Hoc iure, meritoque, & quodammodo in ipsorum parentum gratiam inductum. Ne ad exheredationem quidem patrem sine magna causa accedere debere Ciceron. & Seneca elegantissimis verbis ostensum. Erixonem equitem Romanum, & Quintum Fabium Servilianum ob filiorum cades iam olim damnatos fuisse. Martiani sententiæ de patre qui filium in venatione necavit, multis doctorum interpretationibus obscurata magis quam exposita, latè explicatur, & novo ac vero sensu donatur.

RGO licet olim de filio, vt de re sua, (1) etiã abutendo, pater disponere posset, & illum concessæ sibi potestatis iure impunè interficere, postea tamen hoc crimen, restricto nimio parentum in filios imperio & dominatione, non omnino inultum relinqui debere, prudentissimi Romanæ reipublicæ legislatores animadverterunt. Idque in ipsorum quodammodo parentum gratiam, qui cum semper pro salute filiorum consilium optimum capiant, (2) & magis illorum, quam proprijs doloribus afficiantur, (3) non facilè, impunitatis spe, ad necem filiorum cuiuslibet iræ, dicam ne an furoris causa, prorumpere debuerunt. Nam cum nunquam (vt Quint. (4) ait) *leviter excandescant patres*, cohibenda fuit illorum facultas, ne temerè graviter & asperè in filios sævirent, quos postea interfectos anxie dolerent. *Cerè, inquit Salvian. (5) etiam si iustas succensendi causas parentes habeant, nihil contingere eis felicius, nihil optatius potest quam vi sic eis pro reatu filij satisfaciant, ne necesse habeant vindicare.* Et Sen. (6) *Filius ait, nonne saepe excandui, saepe recociliatus sum. saepe quod negaveram dedi? Quod si exheredationis potestas non nisi ex magna causa parentibus data fuit ac concessa, & omnia tentare pater debet, antequam ad vltimum illud remedium accedat, quia vt ait Seneca: (7) Nunquid aliquis sanus filium,*

(8) Ciceron. de Amic.

(9) Seneca. de Clementia. l. 1.

(10) Paul. de Off. fil. cap. 1. §. 1.

(1) L. 1. §. per hanc de rei vin. l. verbis legis 120. de verb. sign. iuncta. l. fed si lege. §. consuluit, de pet. hered.

(2) L. fin. C. de curat. furios.

(3) l. illi quidem, de eo quod mer. caus. §. 1. §. 1.

(4) Quintil. de decla. 374.

(5) Salvia. in epist. ad H. patium & Quietam, pag. 298.

(6) Sen. li. 2. contr. 3.

(7) Sen. li. 1. de cle- ment. cap. 14.

lium, à prima offensa exheredat? Nisi magna & multa iniuria pœnitentiam evicerint, nisi plus est quod timeat, quàm quod damnat, non accedit ad decretorium stylum: Multa ante tentat quibus dubiam indolem & peiore loco iam positam revocet simul deplorata est, ultima experitur. Et Cic. (8) Magna oportet esse vitia atque peccata filij, quibus incensus parens potuerit animum inducere, ut naturam ipsam vinceret, ut amorem illum penitus insitum eijceret ex animo, ut denique patrem esse sese obvisceretur. Merito interficiendi filij facultas omnino prohiberi debuit, & filicidium (ut ita loquar) severissimè vindicari: Vnde Seneca (9) refert Erixonem quemdam equitem Romanum in foro graphijs à populo confossum fuisse, quia filium flagellis occiderat. Et Paulus Orosius (10) scribit de Q. Fabio Maximo Serviliano (nam verisimile est hunc fuisse, de quo & Valerius) (11) die dicta, Gneòque Pompei accusante, Romæ damnatum fuisse parricidij, quòd filium adolescentem, quem antea rus, causa impudicitia, relegaverat, interfecisset. Et D. Adrianus ut à Marciano (12) nominatim proditum est, patrem in insulam deportavit, qui filium suum, qui novercam adulterabat, in venatione necaverat: quod latronis magis quàm patris iure eum interfecisset. Quo tamen in loco est quod parumpèr subsistamus, & diligentè inquisitione, verum Marciani sensum perscrutemur. Nam interpretes vix est, ut illum percipere queant, dum dubitant, quid esse in causa potuerit, cur eo tempore, quo iam erat sublata filios occidendi licentia, pater qui filium necavit, non parricidij sed leviori deportationis pœna damnetur? Et sunt qui putent, (13) patrem in flagranti adulterij crimine deprehendisse filium, & occidisse, atque ideò mitiori pœna punitum, aliquid enim tam iusto dolori condonari debuit. (14) Alij quibus verisimile non est, filium in ipsa venatione novercam adulterasse, delictum quidem hoc antea commissum fatentur, (15) ideò autem leviori pœna affici patrem, quòd in eum filius iustam exheredationis causam perpetrasset. Vnde regulam generalem multi conficiunt, (16) ut quotiescùmque pater filio, vel filius patri, ita ingratus extiterit, ut possit secundum præfinitam legibus

(8) Cicer. pro Ros. Amer.

(9) Senec. lib. i. de clement. c. 14.

(10) Paul. Oros. lib. cap. refert, Petr. Ærod. lib. 8. decret. tit. 6. c. 13.

(11) Valer. li. 6. c. 1

(12) Marc. in l. Divus 5. D. ad l. Pompeiam de parric.

(13) Paul. de Casir. in l. in suis, n. 4. de liber. & post. Hip. in d. l. divus.

(14) L. Grach. C. ad leg. Jul. de adul.

(15) Glo. & Bart. & Alb. ibi Pet. Gerard. sing. 2. Tiber. Decian. lib. 9. crim. c. 8. n. 11.

(16) Ias. in l. ius civile, n. 28. de iust. & iur. Mant. sing. 155. & alij relati à Menoch. casu 356. & Carrer. in prax. fol. mihi 20. Tiber. Dec. sup. c. 15. n. 26.

formam exheredari, (17) possit quòque citra ordinariam parricidij pœnam interfici. Alij vero patriæ potestatis qualem qualem contemplationem & præteritæ iniuriæ dolorẽ Adriandum ad diminuendum supplicium movisse aiunt, (18) cum in patre eo casu non tam castigatio & animadversio filij, quam excessus puniatur. Quæ tamen omnes interpretationes, mihi parum ad Marciani mentem accedere, & redditis ab eo rationibus convenire videntur: Nam cum dicat ideò deportatione damnatum patrem, quòd filium in venatione latronis magis quam patris iure interfecerit, insinuat quodammodo, etiam tunc necem iure patri irrogatam, nullo supplicio vindicari. Quare his relictis, & damnata etiam Forcatuli (19) sententia, perperam existimantis, limitato patriæ potestatis iure, in duobus adhuc casibus patri liberorum necem permissam, nempe si filiam in adulterio deprehenderit, (20) vel si novercam à filio adulteratam sciat, & illum iure patris occiderit: in Marciani autem responso ideò à D. Adriano in insulam deportatum, quòd magis id latronis quam patris animo fecerit. Ego præter omnium mentem existimo doctores monstrum sibi confixisse, quòd superare nunquam potuerunt, dum sibi persuadent, mitius quam oportuisset, patrem ab Adriano fuisse punitum, non satis animadvertentes, ultra filios qui matrem, patrem, avum, aviam, & alios ex ascendentibus occidissent, reliquos, qui sibi deorsum, aut transversum coniunctas personas necassent, licet parricidium committere dicerentur, non tamen cullei pœna, sed ea quæ fuit legis Corneliæ de sicarijs coerceri, ut expressè Marcian. (21) ostendit, dum ait: *Ut pœna ea teneantur, quæ est legis Corneliæ de sicarijs.* Et expressius Modestinus, (22) qui postquam more maiorum parentum interfectores culleo & serpentium contubernijs puniri dixerat, ita subdit: *Qui alias personas occiderint præter patrem, & matrem, & avum, & aviam, quos more maiorum puniri supra diximus, capitis pœna plectantur, aut ultimo supplicio mactentur.* Quòd cum ita sit, & legis Corneliæ de sicarijs pœna in honestioribus deportatio in insulam fuerit, ut Marcianus testatur, (23) iam satis liqui-

(17) Auth. v. cum de appell. §. aliud quoque, c. c. 11. 8.

(18) Ant. Gem. in l. 80. Taur. num. 59. vers. vel aliter & tertio.

(19) Steph. Forcat. dial. 81. nu. fin.

(20) L. nec in ea de adult.

(21) Marcia. in l. 1. de parric.

(22) Modest. in l. pœn. 9. vers. qui alias, de parric.

(23) Marcian. l. 3. §. legis, D. ad l. Cor. de sicar. l. qui eadem eod. tit.

(24) L. 2. de pub. iud. l. edicto, §. rei capitalis, de bon. poss. l. 2. §. capitaliū de pœn. cum notatis ad Rev. li. 3. var. c. 10. & lib. 4. ca. 6. Pet. Fab. lib. 2. sem. cap. 12.

(25) *Macer* in l. marito 24. ad l. Iul. de adult.

(26) *Cuiac.* lib. 6. observ. c. 17. in fin.

(27) *Lamprid.* in Adriano facit l. ser vos 5. de accus. l. 2. de his qui sunt sui.

(28) *Rufi.* in symb.

dò constat, Divum Adrianum ordinariam & communem homicidij pœnam, & capitale supplicium, quod aquæ & ignis interdictionem sive deportationem significat, (24) irrogasse: nullo patriæ potestatis respectu habito, quæ magis debuit in pietate, quam in atrocitate consistere; nulla etiam adulterij, cum noverca à filio commissi, contemplatione, cum pater non solemni modo, & accusato coram iudicibus filio (quod fieri debuisse supra retulimus) hanc fuerit ultus iniuriam, sed latronis more, clanculum in venatione, & per insidias filium necaverit. Præsertim cum nèque in ipso adulterij crimine deprehensum occidere posset, quippe quia filius ex illis personis non esset, quæ lege Iulia de adulterijs impunè à marito occidi permittebantur, vt & *Macer* (25) ostendit, & nominatim doctissimus *Iacob. Cuiac.* (26) observat. Nèque mirum si *Adrianus* inultum hoc patris facinus relinquere noluerit, qui *Lampridio* (27) teste, nedum filios à patribus, verum & servos à dominis occidi vetuit, eosque iussit per iudices omnino damnari. Quibus accedit, malitiam patris & insidias non posse impunitas relinqui.

Nam, vt inquit eleganter *Rufinus* in Symbolo: (28)

*Occidere hominem non semper criminofum, sed
malitia occidere in legibus
criminofum.*



CAPVT X.

Constantiniana primùm sanctione cullei pœnam, quæ olim in liberos, in parentes etiam liberorum interfectores porrectam. Gravissimum esse delictum filios occidere. De filiorum amore plura. Eorum vitam parentibus propria chariorem. Eis omnia ex voto parari. Participes filij cur Terentio dicantur? Pro salute filiorum religiosè iuratum. Ut superstites parentibus essent, & eorum oculos clauderent frequenter vota concipi. Hinc supersticiosi nomen. De more operiendi oculos mortuorum obiter nonnulla. Dolorem parentum in filiorum obitu, & pro eorum salute sollicitudinem Epitaphijs, & animalium exemplis ostensum. Plato qualiter, qualiter Ægyptijs filiorum occissores punierint? Nullum maius tormentum inveniri quàm filios in parentum conspectu necare.



MAXIMUM itaque parentum vitæ & necis in liberos ius ademptum constitutionibus fuisse, satis mi fallor ex superioribus constat. Sed vsque ad Constantini tempora filiorum cædes, ordinaria homicidij non peculiari & extraordinaria cullei & serpentium pœna vindicabatur. Primus ergo Constantinus, (1) & post eum alij Impp. (2) & Principes, parricidij nomen & supplicium more maiorum descendantibus dumtaxat irrogatum, in ascendentibus qui suam prolem morti dedissent æqua lance observari sanxerunt. Idque iure sanè optimo, cum non minor parentum in filios amor & charitas, quàm filiorum in parentes pietas esse debeat: sed maior potius, quo magis natura ipsa, vt Arist. (3) tradit, patres in filiorum amorem, tanquam in actionem, & finem sui, totis animis devehuntur. Qua de re cum graviter & eleganter Apollonius apud Philostratum (4) differat, & Tiraquellus, (5) & Petrus Gregor. copiosè multa, vti assolent, in vnum congesterit, non est cur ego immorari nunc debeam, & ex illorum paginis (quod impudenter alij fecerunt) (6) meas paginas confarcire. Præsertim cum tacentibus etiam nobis, paren-

- (1) *Constant. in l. vn. C. de his qui par.*
 (2) *Iust. in §. alia de ind. inst. de pub. tud. Alfonsus nos. ter. in l. 12 tit. part. 7. vide Tib. Decian. lib. 9. crimin. cap. 8.*
 (3) *Arist. 2. magn. mor. cap. 12.*
 (4) *Philost. in vit. Apoll. lib. 2. c. 7. & Plutarc. li. de amor. parent. cap. 7. 28.*
 (5) *Tiraq. in l. si vnquam in princ. ex nu. 1. vsq. ad 33. Pet. Greg. in præ. lud. lib. 5. c. 7. §. 1. 119.*
 (6) *Pet. Plaz. c. 22. n. 24. Ascan. Clem. de pat. potest. c. 4. Constan. quest. iuris. c. 15. n. 27.*

(7) *Accurs.* in §. fin. verb. appellantur inst. qui test. tut. & alij relati à *Rojas* in epit. success. c. 2. n. 5

Tiraquel. sup. n. II. (8) *Alc.* in l. filij appellatione 84.

vbi *Bræqu.* de verb. sign. *Connan.* lib. 10. com. c. 1. *Rebuf.* in l. liberorū, vers. præter hæc omnia, de verb. sign.

(9) *Callistr.* d. I. liberorum.

(10) *Latin. Pacatus* in Panægyr. ad Theod.

(11) *Cic.* 3. de finib.

(12) *Iust.* l. fin. C. de curat. fur.

(13) *Paul.* in l. isti quidē, de eo quod mer. caus. §. fin. inst. de noxal.

(14) *Senec.* lib. 6. de beneficijs, cap.

Cassiod. lib. 2. var. epist. 14.

(15) *Cassiod.* lib. 2. var. epist. 14.

(16) *L. penult.* de bon. libert. l. nam & si de inoff. l. cum ratio de bon. dam. *L. Iulianus* si quis omiff. cau. test. l. de emancip. C. de legit. hered.

(17) *Ita Imp. An.* in l. l. C. de his qui sibi scribunt.

(18) *Senec.* lib. 3. contr. 1.

tum erga filios charitatem, & natura ipsa satis commendet, & eis inditum nomen ostendat. Filij namque à *παῖδες* dicuntur, vt cum *Accurs.* (7) nostro, alij communiter prodiderunt, quòd amorem & affectum significat, aut à verbo *παῖς* hoc est, vehementi affectione, & summo amore appellantur, vt *Alciat.* (8) *Connan.* & eruditiores alij testantur; vnde nullum nomen dulcius, nullum amantiùs quàm filij, *Callistratus* (9) docet, & *Latinus Pacatus*, (10) *instituente*, inquit, *natura plus ferè filios, quàm nos metipsos diligimus.* *Cicero* (11) etiam ex forma membrisque corporis intelligi ait, naturam ipsam procreati liberos voluisse, & diligi deinceps procreatos, & *Iust. Imp.* (12) nullum affectum, nullum extraneum amorem reperiri posse tradit, qui paternum vineat, pro quo, vt & *Paulus* (13) scripsit, magis in liberis quàm in se ipsis terrentur. Sed & naturalem hanc in liberos propensionem & curam elegantissimè, vt solet reliqua, *Seneca* (14) his verbis expressit: *Non vides, quemadmodum teneram liberorum infantiam parentes ad salubrium rerum patientiam cogant? Flentium corpora ac repugnantium diligenti cura fovent, & ne membra libertas immatura detorqueat, in rectum exitura constringunt, & mox liberalia studia inculcant, adhibitoimore, nolentibus. Ad ultimum audacem iuventam frugalitati, pudori, moribus bonis, si parum sequitur, coactam applicant. Itaque beneficiorum maxima sunt quæ à parentibus accipimus, dum aut nescimus, aut nolumus.* Et *Cassiodorus* non minus elegantè: (15) *Nutriuntur, inquit, a parvulis, ipsis laboratur, ipsis divitiæ conquiruntur, & cum sibi vnusquisque credat abundare quod possidet, cum à patribus adhuc queritur pro altera potius etate peccatur. Maria ipsa sævis tempestatibus excitata, genitoris cura non refugit, vt peregrinis mercibus acquirat, quod propriæ soboli derelinquat, pro qua subire non recusamus exitium.* Quod nec nostri iuris auctores (16) omisisse videntur, apud quos passim parentes ex naturali voto liberis sua omnia parare, dicuntur, & dulci officio fungi, cum illos heredes scribunt. (17) Nimirum quia vt ait *Seneca*: (18) *Quid tandem misera istæ divitiæ expetuntur? si ne in hoc quidem vt liberis relinquuntur.* Quam ob causam hunc com-

munem & naturalem in filios amoré sentiens Menāder: (19) *O filij, inquit, quantum estis philtrum humanae menti.* Et pater apud Terentium (20) de filij salute sollicitus ait:

Nec fas est me vlla voluptate perfrui

Nisi vbi huc ille saluus venerit

Meus particeps.

Vocat autem participem filium, quòd olim (vt ex Cicero-
ne, Hottoman. (21) ostendit) patres præ nimio in filios
amore & indulgentia, vivi adhuc, cum eis bona partiren-
tur: vnde & condomini à Paulo (22) appellantur, & ab Au-
sonio (23) dum ait:

Iusta quidem series patri succedere, verùm

Esse simul dominos gratior ordo pijs.

Quin & nullum sanctius, nullum firmius censetur iusiuran-
dum, quam quod, pro filiorum salute concipitur, nullum
etiam frequentius, quàm quo vt nobis superstites sint, ali-
quid vovere solemus. Id quod optimè Plinius (24) insinuat,
dum de insigni illo captatore Regulo loquitur, qui concep-
to per filij salutem iuramento, quendam fefellerat: *Clamat,*

*inquit, moriens ò hominem nequam, perfidum, ac plus etiam
quàm periurum, qui sibi per salutem filij peierasset.* Ostendit
etiam Terentiana (25) Sostrata, quæ Clitiphonti filio deie-
rat, hoc modo. *Ita mihi atque huic sis superstes, vt ex me atque*

hoc natus est. Apud Senecam (26) quoque patris iusiuran-
dum his verbis concipitur: *Ita mihi superstite filio mori li-*

ceat. Et alibi: (27) *Ita mihi libero & vivere contingat, & mo-*

ri. Ita oculos meos filij manus operiant. Quo loci, quod Se-
neca de operiendis oculis ait (vt obiter animadvertamus)

ad Romanorum morem spectat, apud quos C. Plinius (28)
magno ritu sacrum fuisse ait, vt morientibus oculos operi-
rent. Quo nomine, vt ex Plutarch. refert Petrus Crinitus, (29)

infelices eos vulgò vocitare solemus, quorum oculos, prop-
ter absentiam, parentes vel filij obtegere non potuerint.

Apud Quintilianum (30) etiam pater ille proclamat: *O*

quam grave est mori: quanto gravius quòd ego vivo superstes,

filij mei. Et Cicero, (31) quamvis à Lactantio (32) repre-
hensus, inde superstitionis, & supersticiosi nomen provenis-

(19) Menand. rela-
tus à

(20) Terent. in
Heautont.

(21) Hottom. in l.
in suis, de lib. &
post.

(22) Paul. in l. in
suis de lib. & post.

(23) Auson. edyl. 4

(24) Plin. lib. epist.
fin. lib. 2.

(25) Ter. in Heaut.
act. 5. scen. 4.

(26) Senec. libr. 9.
contr. 4.

(27) Lib. 9. contr.
4.

(28) Plin.
Vide Ant. Aug. c.
de l. Mavia.

(29) Pet. Crinit. de
honest. discipl. lib.
18. c. 12.

(30) Quintil. decl. 6

(31) Cic. lib. 2. de
nat. Deor.

(32) Lact. divin.
inst. lib. 4. c. 48.

se testatur, quòd essent multi, qui totos dies precarentur & immolarent, vt sui sibi filij superstites essent. In Epitaphijs quòque maximi huius erga filios amoris, & communis parentum voti, vt sibi filij superstites sint, multa testimonia à Romanis relicta ex his constat, quæ diligentissimus Briffonius (33) congefsit. Quorum tamen duo transcribam, quæ apud Cuiacium (34) etiam reperiuntur: Et primum eò libentius, quòd excellentissimi & acutissimi Iurisconsulti Papiniani nunquam sine honoris titulis laudandi (35) fuerit, eius monumento in hæc verba à parentibus positum.

ÆMILIO Paulo Papiniano Præfeto Prætorio Iurisconsulto, qui vixit annos xxxvj. dies x. Menses III. Papinianus Hostibus Eugenia Gracili turbato ordine, in senio, heu parentes fecerunt Filio optimo. Aliud sic habet.

Infelicissimus parens adflictus præoposteritate Naturæ, Filium hoc Tumulo condidit, quem importuna Mors ademit, Prærepfitque senij baculum, cui iam defessa ætas adnitens, Per breves annos suos allevabat, nunc ante mors adsequitur quam tristes lachrymæ deseruerint.

Quæ cum ita sint, nemo ibit inficias, iustis de causis parentes, qui filiorum fata properaverint, quorum vitam cupere, fovere & propriæ vitæ dispendio curare debuissent, Constantini lege asperrimo parricidarum supplicio damnari. Quid enim non illi patiantur, qui plus nimio duri proprios filios negligunt, & immoderata austeritate eos occidunt, pro quibus non secus ac pro aris & focus dimicare tenebantur? & qui naturam, non dicam hominum, sed omnino ferarum exuisse videntur? Quæ vt rectè considerat Petrus Gregorius (36) pro suis maximè catulis occumbunt. Delphines enim ita foetus diligunt, vt eos sequantur, & vnà ideò cum illis (Æliano referente) (37) capiantur. Avis etiam, vulpanferis nomine, meminit Horus Apollo, (38) si quando eam venator cum parvulis insequatur, patrem & pariter matrem, vt serventur parvuli, se vltro venatoribus dare. Extat quòque pulcherrima apud Lucretium (39) dolentis vaccæ de vitulo amisso descriptio, & apud poetam Papinianum: (40)

(33) Briffon. 7. de form. pag. 797.

(34) Cui. li. 8. obs. c. 23.

(35) Prout & faciunt Impp. in l. cū acutissimi, & in l. cum virum, C. de fideicomis & in l. 1. vers. sed neque, C. de vet. iur. enucl. & alibi passim.

(36) Pet Greg. lib. 36. syntag. c. 24. nu. 22. & in prælud. li. 5. cap. 7. & omnino Philostr. in vit. Apoll. lib. 2. c. 7.

(37) Ælian. 1. de animal. c. 18.

(38) Hor. Apol. in litter. hierogl.

(39) Lucret. lib. 2. de nat. rerum.

(40) Papinian. in x.

Aspera Tygris

Fœtibus abreptis, Scytico deserta sub antro,

Accubat, & tepidi lambit vestigia saxi.

Et læa, quam sævo fœtam pressere cubili

Venantes Numidæ, natos erecta superstat,

Mente sub incerta torvum ac miserabile frendens.

Illa quidem turbare Globos, & frangere morsu

Tela querit; sed partus amor, crudelia vincit

Pectora, & in media caulos circumspicit ira.

Vnde nihil certè gravius habuit Æschines, (41) quod exprobraret Demostheni, quàm quòd statim post filij mortem, candida veste indutus luctum neglexisset: adiiciens, eum qui filios aut contemnit; aut odit, nèque probum esse, nèque bonum populi gubernatorè futurum. Iob (42) quoque huiusmodi homines Struthioni avi comparat, cuius maxima est erga proprium fœtum oblivio: *Duratur, inquit, ad filios suos quasi non sint sui, privavit eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.* Quare Plato (43) nequaquam illatam filijs à parentibus cædem inultam relinquendam existimavit, quin potius suis legibus cavet, ut si pater aut mater (accidit quamvis rarò) per iram verberibus, vel alio modo filium vel filiam interficiat, perinde ac cæteri homicidæ purgetur, & triennium exulet, ac post ipsam, restitutionem maritus ab vxore, vxorque à marito separentur: nec simul amplius liberis procreandis operam navent: neuterque horum simul habitet, vel vnà cum eo sacris communitet. Egyptiorum etiam legibus, ut Diodorus (44) refert, pater filij interfecto eo supplicio affici iubebatur, ut tribus diebus, noctibusque palam & observante eum militari manu, circa interempti filij cadaver assisteret: Equum non putantes eum liberorum causa vitam perdere, cuius ipse liberis auctor fuisset, sed dolore & poenitentia facti affligendum. Qua poena, licet levis prima facie videatur, Siculi non invenerunt Tyranni tormentum maius, cum ob nimiam naturæ necessitatem, & parentum in filios amorem, lugubre illud trium dierum spectaculum, & sceleris proprii conscientia, prorsus patri perniciè sit allatura, nam ut ait Euripides (45)

(41) Æsch. in orat. cont. Cthesiph. & Demosth.

(42) Iob c. 39. Pieri Valer. in Hierog.

(43) Plat. li. 34. dialog. 9. de leg.

(44) Diod. li. 1. Blib.

(45) Eurip. in suppl. act. 5. vers. 128.

in supplicijs : Nullum cruciabilius malum inveniri potest
quàm filium mortuum conspicerè. Et vt rectè Seneca: (46)

(46) Senec. in Hip-
polit.

————— O nimium potens
Quanto parentes sanguinis vinculo tenes
Natura! quàm te colimus in vii quòque?
Occidere volvi noxium, amissum fleo.

Quò forsan respexit Lucianus in Tyrannicida, vbi Tyranni
filium qui interfecerat, præmium quoque patris morte ex-
poscit, quam is præ dolore sibi consciverat, verba autem
hæc sunt: Cum duos eodem die Tyrannos occiderim, vnicum
tamen pro ambobus præmium petitum venio, qui quidem vnus
omnium quot quot vnquam Tyrannicida fuerunt, vnico vulne-
re duos maleficos fuerim amolitus, necique dederim, filium vi-
delicet ense, patrem ingenti charitate qua filium adamabat.
Itaque Tyrannus pro his quæ commisit abundè magnas pœnas
nobis dependit, quippè qui & virus aspexerit filium prius mor-
te sublatum, & quod est omnium maximè novum, compulsus sic
denique ipse sui Tyrannicida fieri. Sicque, vt Petrus Victo-

(47) Pet. Vict. i. va-
riar. lect. cap. 8.

rius (47) scribit, nullam multi magis diram, plenamque
odij rationem, qua animum suum in vlciscendis iniurijs, sa-
tiare possent, iudicarunt, quàm filios in ipsorum parentum
conspectu trucidare. Legimus enim apud Demosthenè, (48)
Cardianos, vt supplicio acerrimo afficerent Miltocytim
Thracem amicum Atheniensium, primum filium ante pa-
tris oculos in navi iugulasse, & è navi in pelagus proiecisse.
Fertur etiam Plutarcho (49) teste Strate sicileam Spartiatam
mulierem, cum filio captam, tortores rogasse, vt prior filio
necaretur, sed vt crudelius vexaretur, non obtinuisse, &
apud Virgilium (50) Priamus non de cæde filij Neoptole-
mum accusat, sed quòd ante patris oculos occidisset, sic in-
quiens.

(48) Demost. contr.
Aristocratem.

(49) Plutarch.

(50) Virg. 2. Ænei.

Ecce autem elapsus Pyrrri de cæde Polites,
Unus natorum Priami, per tela per hostes
Porticibus longis fugit, & vacua atria lustrat.
Saucius illum ardens infensum vulnere Pyrrus
Insequitur, iam iamque manutenet, & premit hasta
Ut tandem ante oculos evasit, & ora parentum

Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit,
 Hic Priamus quamquam media iam morte tenetur,
 Non tamen abstinuit, nec voci iraque pepercit,
 At tibi pro scelere exclamat, pro talibus ausis,
 Dij, si qua est cælo pietas qua talia curet,
 Persolvant grates dignas & præmia reddant
 Debita: qui nati coram me cernere lethum
 Fecisti, & patrios fœdasti funere vultus.

Sed nèque abest Altyagis Persarum regis factum, qui, vt
 Herodot. (51) & Iustin. recensent, nullam in Arpagum ob-
 servatum nepotem Cyrum, maiorem ultionem invenit,
 quàm eius filium occidere, patrique epulandum offerre: Et
 Cambisis, qui, vt refert Crinitus (52) Traxalpi infestus,
 quod eum temulentia & ebrietatis accusare ausus fuerat, fi-
 lium ipsius præsentem patre in medium procedere, sublata-
 que super caput sinistra manu, procul consistere iussit; & in-
 terim capiens arcum, intendensque illum, Probabo, inquit,
 nunc falsum esse quod obiurgas, & in cor ipsum adolescen-
 tis, aciem simul ac spiculum direxit, eumque pro libidine
 fixit. Vnde hoc naturæ tributum solventes Ægeus, Gordia-
 nus, Mehsus, Scedalus, Octavius Balbus, & alij plurimi se-
 xus vtriusque parentes, quorum passim auctores (53) men-
 tionem fecerunt, filiorum mortes præ moeroris magnitudi-
 ne non sustinentes, amplius in vivis agere noluerunt, & ni-
 mia erga filios indulgentia, in se ipsos manus iniicere non
 dubitarunt. Et apud Quintilianum, (54) cum filij pauperis
 ad supplicium peterentur, pater sese obtulit, illos vicaria
 morte servaturus. Quod, inquit ipse, qui miretur, non habet
 liberos. Non absimili ab Agesilai dicto, ratione, quæ, cum qui-
 dam arundini insidentem, & cum filio equitantem vidisset,
 nimiamque indulgentiam tanquam rege indignam repre-
 henderet, Nunc tace, dixisse fertur (55) Agesilaus, quoniam
 non habes liberos, cum verò & tu pater evaseris, tunc etiam
 patres imitaberis. Quo ex fonte illa fluit frequens in no-
 strorum doctorum (56) libris cautela, vt si pater simul cum
 filio de aliquo delicto fuerint accusati, nèque appareat, quis
 eorum delictum commiserit, prius filius, inspectante patre,

R

quæ-

(51) Herodot. & Iustin. lib. 1.

(52) Petr. Crinit. lib. 6. cap. 2.

(53) Valer. lib. 5. c. 7. Plur. in amator. narrat Leonicus de var. hist. lib. 2. c. 10. Tiraq. in d. l. si vnquam in princ. n. 8.

(54) Quint. decl. 11

(55) Plur. in eius vit. Bellegard. ver. pater.

(56) Referunt eam Ifern. Hip. Cepol. & alij relati à Tiraq. sup. n. 7. & de pœn. temp. caus. Ascan. de patr. potest. c. 3. n. 4 Petr. Gregor. in prælod. lib. 5. cap. 7.